Nobilissimo Viro Constantino Hugenio

Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Cum litterae tuae mihi traderentur, Hugeni nobilissime, iam Leidam reliqueram, veteris Musarum mearum hospitium. Eam discedens apud animum meum sic allocutus fui: Leida vale, nostris stato gratissima Musis,

Jam studijs facilis, iam minus aequa meis.

Leida vale. et multos qui se tibi credidit annos,

Jam precor augurio prosperiore iuva.

Imus in Amstelam (sic fatis volumus) urbem.

Quoque vocant Procerum vota vocesque sequor.

Vivere sic nostrum non una sede morari est.

Patria virtuti creditur omne solum.

Ipsis Calendis May huc appuli, cum uxore et reliquis familiae meae consectarijs. aliquot dies disponenda supellectile perierunt. quae causa fuit, quod citius non responderim, à charta et calamo destitutus. Jam quaeque suis stant vasa locis, tabulaeque librique, Et peragunt munus meus sibi quisque suum. Ad docendum omnia hic adhuc imparata. Nec mora in damno erit, contendentibus inter se Leidensibus & Amstelodamensibus de iure publicè hic docendi. Illi Academiarum hoc proprium esse volunt, et sibi regio privilegio concessum. Hi inter Scholam Illustrem et Privilegiatam distinguunt, et iura promovendi, immunitates, ac specialis fori gratiam, nedum studiorum universitatem Academiae [illegible] dare contendunt. Urgent ad haec exempla externa et domestica illustrium scholarum, Bremae, Steinfurti, Hamburgi, Dantisci, Harderwici, Daventriae, olim Dordraci, nuper Middelburgi, quae sit longè infra Academiarum dignitatem esse. Utraque pars Curiae iudicio stabit aut cadet. Ita visum Principi. Sed stipulati sunt Amstelodamenses, uti interea mercantium hic vultibus ac moribus adsuescam, mediocri desidatur gradatio. Interea mercantium hic vultibus ac moribus adsuescam, et iam Amstelamque mihi facilem reddam, ne, qui propitio Rheno Leidae versus pepigi, dis invitis pangam. Aliquot post me diebus venit huc cum familia omni D. Vossius, eandem meam fortunam inter mercuriales experturus. Faxit ille, qui sapientiae omnis ac doctrinae fons est et largitor benignus ut haec coepta nobis ac Reip. huic feliciter cedant. De iuvene isto nobili, ita habe. Deerunt nobis conditiones non aliae, praeterquam eas, quibus naturae iure alimoniam debemus, quos Aristoteles partes nostri vocat, postea parentum laetas propagines et ἔκγονα. Si tamen me adolescentis commendatissimi ingenio obstetricari posse putas, non deero officio meo, et scito commendationis tuae non leve apud me fuisse pondus. Uxor iam per viginti annos culinae ac foco affixa Otium Divos rogat. Quid, quod plantarius librorum numerus omnes domus meae stationes occupaverit. Non tam laxis hic vestis habitatur, uti alibi. Ingens hic terrae et aedis pretium, et quorum cupiditati vix sufficit universum, non habeam ubi commodè pedem figam, ut cum Hebraeis loquar. Leidam meam, hoc est, Musarum sedem, doctorum coetus, ambulacra amoenissima, et quae sunt alia secessus, frustra hic requiram. Nec tamen, si familiae meae urbis istius illecebrae, pigeat susceptae vocationis. Quicquid hic desiderabimus rationes expendam, pigeat susceptae vocationis. Tu, mi Hugeni, litteris, affectu ac sensu mei recordatione supplebis. Vale, cum uxore et lectissimis Triumviris. Amstelodami XIII May CIↃIↃCXXXI.

Matri, fratri, sorori charis tibi pignoribus opto εὐπραξίαν.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 49
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/605

Edelen heere
mijn heere Constantinus Huijgens
R. heere van Zuijlichem ende Secretaris
van sijn Hoocht woonende in de
hout-straete in 't Hoff,

Haghe

franck

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 49
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/605